



Cornelius Scepperus apud Belgas natus & educatus est. Is cum felici ingenio esset præditus, bonis artibus à teneris annis incubuit, & in ijs plurimùm profecit. Vnde Christiernum Danorū regem apud Imperij principes libro edito excusavit, & aduersariorum criminationibus respondit. tum etiam statibus Imperij Noribergæ cōgregatis 1523 eum commendauit, & pro eo auxilium poposcit. In primis aut Mathematiko studio incubuit, & in eo solidam doctrinam sibi comparauit. Eam autem ut patefaceret, cōtra Astrologos, ipsam artem conspurcantes, egregium opus composuit, atq; astrorum uerum usum patefecit. Inundationes etiā

aquarum prædixit, & auertit. Itaq; Carolus 5. Imperator hunc Cornelium ob multiplicem eruditionem plurimùm dilexit, & inter consiliarios suos adoptauit. Huic etiam periculosas aliquoties ad Turcam legationes iniunxit, & res magnas expedire iussit. Eas Cornelius magna dexteritate peregit, atq; à Cæsare multis honoribus auctus fuit. Is etiamnum apud Belgas senex superest, & suis uirtutibus effecit, ut omnibus bonis innotuerit. Anon.